

num morsibus laniatum obijſſe scribit laudatus *Valerius* (lib. IX. c. 12. §. 4. *Extern.*) & statim addit, *Crudelitas fati tanto ingenio non debita*. Opinio autem post mortem tanta fuit, ut & Macedones in gloriæ loco prædicarint, apud se sepulcrum illius esse (ut olim de sede *Homeri* septem urbes Græciæ certaverant) dicentes, Οὐντες σὸν μνῆμα Εὐγένιον ἀλεῖσθαις; & cùm legati ad eos ab Atheniensibus missi petissent, ut ossa Athenas in terram illius patriam permitterent transferri, maximò consensu in ea re denegandâ persistiterint. Notabilis est Valerij sententia circa harum mortium historiam occùpato: *Fine vite nostræ variis & occultis caussis exposito interdum quedam immerentia supremi fati titulum occupant, cùm magis in tempus mortis incident, quam ipsam mortem accersant*, quod nos Germani interpretari solemus vulgato illo dictione, der Todt will eine Ursache haben.

Luctum Archelai quod attinet, ita de eod. *Oliverius ad Valerium*: Archelaus verò rex, auditâ tām indignâ morte Poëtæ (simile habemus in sacris de recente seu musteo rege Davide & per amicitiæ speciem transfoſſo Abnere *II. Samuel. III.*) quamprimum jussit capillos sibi & barbam reſecari in ſignum doloris. Hæc nobis erit occasio vobis, discipuli, variis lugendi ritūs ſummatim heic recenſere, eosq; ex *Alexandri Neapolitani lib. III. Genial. dier. c. 7.* cuius verba hæc ſunt. Apud (1) *Spartanos* erat constitutum, ut, rege defuncto, equites obitum regis enunciantes curſitent, fœminæq; crinibus paſſis & libero conqueſtu, tinnitu ollas pulſent æneas, quibus nec nocte nec die quies. Tunc, audito regis obitu, in omnem formam luctus concedi permifſum erat, mulieresq; proximâ affinitate in ueste candidâ & capite aperto, ritu Romano ejulantes, funus celebrare; filij verò teſto capite in ueste pullâ parentes efferre conſuevere. Apud (2) *Græcos* fœminæ viriq; in candidâ ueste cum coronis amplissimi viri exſequias prosequuntur, & velut in publico luctu complorant promiscuè. Quod fuit in more (3) *Syracusanis*, qui candido amictu velati & fronde coronati Timoleontem extulere, cui perpetuos honores atq; in foro ſepulcrum decrevère: ſicut (4) *Sicyonij Aratum* in ueste albâ & coronis ſepulcro intulere. (5) *Ar-*